



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae

Johann Hugo <Trier, Erzbischof>

Mogvntiae, 1688

Ordo instituendi preces 40. horarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

DE PRECIBUS QUAR- DRAGINTA HORARUM.

Antiqua consuetudo in Ecclesia Dei certis horis orandi in SS. litteris fundata, tandem ad 40. horas per tres dies continuos distributas piorum ac sanctorum virorum religione ac zelo, præsertim S. Caroli Borromæi Archi-Episcopi Mediolanensis & S. R. E. Cardinalis pietate augmentum sumpsit, quam etiam Summi Pontifices indulgentias plenarias concedendo, ut scilicet, eò magis per poenitentiam Deo conjungerentur, mirè per totum terrarum orbem promoverunt. Eo scilicet consilio, ut in memoriam Christi Salvatoris nostri fieret, qui 40. diebus quievit in stabulo, oravit & jejunavit in solitudine, idque tempus exegit post resurrectionem suam, per dies 40. apparens Apostolis suis, & loquens de regno Dei.

*Art. I.
v. 3.* **N**ec sine singulari fructu tam spirituali, quam temporali id factum est, plurima enim extant exempla, non solum multa millia animarum ad salutem æternam hæc oratione perducta, ac vitia eradicata, consolationes etiam in adversitatibus animi, à Deo impetratas esse; verum integræ urbes ac provinciæ ab hostibus defensæ, à periculis liberatæ, à peste & fame conservatæ &c. abundè testantur.

Hanc igitur orationem Roma postmodum cœpit per totius anni spatium in singulis Ecclesiis certo ordine præscripto continuam indicere & observare.

Ut autem ordinatè omnia decenterque & cum fructu præsertim spirituali fiant, sequens modus ab Ecclesiarum lectoribus, parochis & parochianis in omnibus observandus erit.

1. Decretum à superioribus editum, quo preces hæc mandantur, legatur præcedenti dominicâ vel festo post concionem, populus ad seriam peccatorum confessionem & communionem excitetur: etiam ad lucrandas indulgentias, si à sede Apostolica pro iis precibus sint concessæ.

2. Pri-

2. Pridie ejus diei 40. horarum preces sunt inchoandæ, in illa Ecclesia ubi servandæ sunt, circa vesperum, sicut & singulis sequentibus diebus manè ad expositionem venerabilis Sacramenti, & repositionem ejusdem, vesperi, compulsabuntur omnes campanæ ejusdem Ecclesiæ. Similiter circa finem cujusque horæ precum dabitur signum cum aliqua ex majoribus campanis, ut ii quorum interest, accuratiùs accedere, & alii recedere possint.

3. Rectores Ecclesiarum in urbibus per tribus opificum, aut platearum singularum incolas, aut alio meliore modo, singulas horas hoc triduo ita distribuunt, ut quâlibet horâ iuxta partitionem propiùs altare compareant, etiam quandoque Litanias cantando, rosarium altâ voce recitando &c.

4. Non intermittant pro majore in Deum charitate, & in patriam pietate, vicinos tam Clericos quàm religiosos humaniter invitare, quos inter etiam sint qui sacrum ibi pro sua commoditate legant.

5. Manè horâ quintâ exponatur Venerabile Sacramentum, hoc modo, sacerdos indutus superpelliceo & stolâ, ac etiam pluviali (si haberi possit) comitantibus, si adsint, ecclesiasticis personis, procedit è sacristia, præcedentibus ceroferariis versus summum altare, in infimo gradu genuflexus parum orat, surgens aperit tabernaculum, factâ ad terram usque reverentiâ, mox stans imponit incensum, nec hoc custodem facere permittat, incensat triplici ductu, surgens utrâque manu accipit Venerabile, facie ad populum versâ canit: **Tantum ergo &c.** unicâque datâ benedictione illud reponit inter candelas seu cereos utrimque ad minimum duos, genuflexus denuò incensat, post hæc statim profequitur Litanias cum Versibus & orationibus supra notatis.

6. Quibus finitis faciat aliquid piè cantari à populo, postea recedat, remanentibus tamen illis qui ad illam horam sunt designati.

7. Sacrum summum his diebus cantabitur pro necessitatibus

tibus Ecclesiæ , ante illud autem denuò Litaniam sicut manè factum est.

8. Horâ quintâ usque ad sextam vespertinam, sed tertio seu ultimo die à sexta usque ad septimam, cantentur Litaniam B. Mariæ Virginis cum collectis ad intentionem precum deservientibus, sub finem, eodem ritu, uti & manè, incensato Venerabili, cantabitur ter ab Officiatore Defensor noster aspice &c. & semel Genitori &c. in cuius fine tantum dabitur benedictio, quâ datâ reponetur Venerabile in tabernaculum, & rursus incensabitur flexis genibus. Ultimo die reposito & incensato Venerabili Sacramento, sacerdos apud altare stans inchoabit: **Te Deum laudamus.** in cuius

fine additur Collecta pro gratiarum actione.

